



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Crimine dissolvente Sponsalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

stibus statim, videlicet intra triduum, ut norat Sanch. lib. 1. disp. 51. *ex lege finali Codice de iudiciis*: alias, si in mora fuerit, censetur tacite sponsalia confirmare: In foro tamen conscientia debet quidem reclamatio fieri statim; Verum si quis perveniens ad pubertatem oblitus sit sponsalium, vel ignoret ad pubertatem pervenisse, potest semper, quodcumque memor erit, reclamare.

III. Difficultas est, An, si Impuberes sponsalia juramento confirmant, possint, parte invita, reclamare, quando ad pubertatem deveniunt? Negant Sanch. loc. citat., & Hurt., quia in Cap. *ex Literis* 10. *de sponsalibus*, & *Matrimonii*, statuitur, Impubescentes, qui sponsalia contraxerunt, & juramento confirmarunt, cogendos esse censuris ad matrimonium contrahendum. Sed probabilius affirmant Palud. Pont., Perez disp. 9. sect. 2.: Quod etiam Sanch. iudicat esse probabile. Ratio est, quia juramentum additum contractui fortitur leges contractus, *ex lege finali Codice de non numerata pecunia*; Sed sponsalia impuberum includunt talem conditionem, ut cum ad pubertatem devenerint, possint resilire: ergo etiam juramentum illis additum.

IV. Ad rationem pro contraria sententia respondetur, in citato textu sermonem esse non de Impuberibus, sed de Impubescentibus, seu de iis, qui pubertati sunt proximi, quando malitia supplet aetatem, inter quos, perinde ac inter puberes, validum est matrimonium.

V. Dices: Si impuberes, quando ad pubertatem deveniunt, possunt ad libitum resilire, etiam parte invita; ergo tam contractus, quam juramentum fuit vanum.

Respondeo, non fuisse vanum, quia ex tali contractu obligantur ad non contrahenda sponsalia cum aliis ante

pubertatem; & ex juramento fortius ad id obligantur: Præterea deserviant, ut adveniente pubertate, non sit opus novo contractu, ut sponsalia præcedentia robur suum obtineant. Demum ex iis oritur impedimentum publicæ honestatis, quamvis possint ad libitum dissolvi tempore pubertatis.

ARTICULUS II.

De Crimine dissolvente Sponsalia.

- I. *Etiam Sponsi, nedum Sponsa fornicatio dat jus ad resiliendum a sponsalibus.*
- II. *Sponsus resilire potest, etiamsi sponsa turpius se tangi permisit, aut si deprehendatur ante sponsalia fornicata fuisse. Quando nam Sponsa similiter resilire poterit?*
- III. *Quid, si uterque post sponsalia fornicationem commiserit?*
- IV. *Si Sponsus conscius fornicationis sponsa ad illam accedit, amittit jus ad resiliendum.*
- V. *Nec solum pro foro externo, sed etiam pro interno.*

I. **Q**uæritur primo; An fornicatio etiam Sponsi det jus sponsæ ad resiliendum a sponsalibus?

Respondeo affirmative cum communi; Etenim Sanch. disp. 55. fatetur, nullum reperisse Doctorem de hoc dubitantem, quamvis alii alia ratione dicantur. Ratio nostra est hæc: Ideo sponsa potest rescindere sponsalia propter fornicationem sponsi, quia sponsi fornicatio movet merito sponsæ rationabilem suspensionem, se minus præ altera amari, & post matrimonium esse posthabendam, cum videat sponsam in fervore sui primi amoris alienis amoribus irretitam; quod valde durum est sponsæ: Præterea periculum sæpe est, quod nascatur proles communibus sumptibus alenda: Demum quia in cap.

Quæritur;

Quemadmodum 5. de iurejurando Innoc. III. comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi alterum sponsum propter fornicationem; Quare sicut æque uterque conjux potest alterum dimittere quoad torum propter fornicationem; ita æque uterque sponsus ex mente Pontificis potest dimittere alterum propter fornicationem; cum uterque eodem modo reddatur suspectus de fide in posterum servanda. Propterea in juramento praestito ratione sponsalium subintelligitur tacite conditio, Nisi alter contra regulam desponsationis operetur; ut colligitur ex textu laudato.

II. Docent tamen Sanch., Henr., & alii contra Armil., & Tabien., quod sponsus possit etiam resilire, si sponsa invita compellatur ad fornicandum, aut si permittat se turpiter tangi, aut si fornicatio illius precedens sponsalia deprehendatur post sponsalia, aut si vidua putata honesta post sponsalia deprehendatur fuisse inhonesta: Et ratio est, quia probro habetur ducere talem sponsam; Si tamen ea accidant sponso, Con., & Sanch. lib. 1. disp. 25. negant posse sponsam resilire, cum id non sit dedecus sponsæ; Excipe tamen, nisi sponsus deprehendatur frequenter lapsus cum diversis, & infamibus mulieribus; quia ex hoc redderetur ipse infamis, & possent ab eo similia post conjugium timeri: Excipe etiam, si ex fornicatione sponsi haberentur filii; quia hoc etiam notabiliter difficilem redderet statum matrimonii.

III. Quæritur secundo; An possit uterque sponsus sponsalia rescindere, si uterque post sponsalia fornicationem commisit?

Respondeo, Sanch., Henr., & Con. putare, quod in tali casu solus sponsus possit resilire, quia fornicatio sponsæ est multo turpior, vilior, & periculosior. Verum probabilius Bonac.,

& Palud. docent, quod neuter possit resilire. Ratio est, quia Innoc. III., ut diximus, comparat sponsalia cum matrimonio in libertate dimittendi sponsam: Ergo sicuti si uterque conjux adulteretur, neuter potest ab altero quoad torum separari, quamvis ignominiosius sit adulterium foemina quam viri; ita pariter si uterque sponsus fornicetur, neuter poterit sponsalia dirimere, quamvis fornicatio sponsæ sit turpior. Et ratio a priori est, quia cum utraque fornicatio det æque alteri jus sufficiens ad resiliendum, idcirco utroque fornicante, delicta utriusque quantum ad hunc effectum paria sunt; & consequenter dari potest mutua, & justa compensatio.

IV. Quæritur tertio; An sponsus habens jus ad dissolvenda sponsalia propter sponsæ fornicationem, amittat tale jus, si ad illam accedat?

Respondeo cum communi, quod si non erat conscius fornicationis, quando accessit ad sponsam, tale jus non amittat; secus vero si erat conscius. Ratio est, quia sicuti maritus conscius adulterii uxoris, si ad illam accedat, amittit jus petendi divortium; ita Sponsus amittit jus resiliendi a Sponsalibus; siquidem in hoc, ut diximus, maritus, & Sponsus æquiparantur.

V. Perez tamen censet, quod, si Sponsus accedat ad Sponsam post fornicationem, vel maritus ad uxorem adulteram sine animo renunciandi suo juri, illud non amittat in foro conscientiae, etiamsi amittat pro foro externo, eo quod censetur per copulam confirmare Sponsalia; sed communiter impugnatur, quia copula in tali casu de se est manifestativa animi renunciantis proprio juri; cum autem talis contractus sit onerosus, & Sponsa faciens copiam sui corporis bona fide procedat, habet jus, ne decipiatur; unde non licet Sponso non habere animum confirmandi contractu-

tractum sponsalium: Ad eum modum, quo fictè promittens alicui matrimonium, si ab ea copulam obtineat, obligatur eam ducere, ac si serio id promississet: Et eodem pacto maritus conscius adulterii conjugis, si ad illam accedat, censetur renunciare juri suo; unde non potest amplius petere divortium.

ARTICULUS III.

De Fuga, seu longa absentia Sponsorum, ac de Tempore Matrimonii elapso.

- I. *Potest Sponsa resilire a Sponsalibus, si Sponsus discesserit, nec sit spes, quod brevi sit reditus.*
- II. *Jus civile obligans Sponsam ad expectandum per biennium, si Sponsus sit intra Provinciam, & per triennium, si sit extra illam, non obligat Christianos. Et quare?*
- III. *Bisariam potest in Sponsalibus praefigi terminus ad matrimonium contrahendum. Si ita praefigatur, ut post elapsam terminum cesset obligatio, eo elapso, poterunt statim Sponsalia dissolvi; secus vero si obligatio non cesset, dummodo mora non sit diuturna.*
- IV. *Ut tamen possint Sponsalia dissolvi ratione mora, debet moneri qui est in tali mora, ut intra praefixum tempus matrimonium contrahat sub interminatione rescindendi Sponsalia.*

I. **Q**uæritur primo; An, quando Sponsus absque Sponsa consentu discedit in partes remotas animo redeundi, habeat Sponsa jus ad resiliendum a Sponsalibus, si non sit spes celeris reditus?

Respondeo, certum esse, quod, si reditus sponsi sit difficilis, habeat Sponsa jus ad resiliendum a Sponsa-

libus; quia in tali casu & Sponsus censetur suo juri renunciare, & res promissa censetur notabiliter mutata; unde cessat obligatio Sponsalium: Si vero regressus non est difficilis, sed non est spes, quod brevi Sponsus sit rediturus, multi cum Sylvest., Covar., & aliis apud Sanch. disp. 54. docent, teneri Sponsam expectare, non solum si ob causam necessariam Sponsus discesserit, *Ex lege Sape ff. de sponsalibus*; sed etiam si ob causam voluntariam, dummodo justam: Præsertim quia jus civile præscribit, ut sponsus, qui extra Provinciam est, expectetur a Sponsa per tres annos; & si in Provincia sit, expectetur per biennium, *leg. 2. de Repudiis*; hæc autem lex civilis videtur servanda, cum a jure canonico non sit abrogata; Nam in *Cap. Cum de Illis 5. de Sponsal. & Matrimon.* Jus canonicum solum statuit, ut liberum sit Sponsæ a Sponsalibus resilire, quando Sponsus ad partes remotas se transfert, videlicet, ut notat Abbas, mutando domicilium, & animo non redeundi.

Verum Sanch., Hurt., Bonac. quæst. 1. punct. 6., Perez, & alii communiter docent, quod Sponsa possit licite resilire, si non sit spes proximi reditus. Ratio est, quia eo ipso, quod Sponsus voluntarie tam longe recedit, & absque spe celeris reditus, censetur juri suo renunciassè, & notabiliter fregisse fidem: Nec putandum est, Sponsam se obligasse ad tam diuturne expectandum; cum hoc sit illi nimis grave, & onerosum.

II. Addit Hurt., quod dispositio juris civilis expectandi biennium, si Sponsus sit intra Provinciam, & triennium, si sit extra illam, non habeat locum in Sponsalibus baptizatorum, atque adeo eos non obliget. Ratio est, quia contractus Sponsalium inter baptizatos habet pro objecto, & materia